

*Aristotelis de physico auditu, De Ortu et interitu seu de Generatione et corruptione rerum naturalium, Commentarios in libros de Anima.* Prodierunt etiam posthumi *Commentarii* in libros *Aristotelis de Cælo et mundo* (1).

Sylvester  
Maurus,

Aliquot annis posterius *Aristotelis* libros felicissima maximeque perspicua paraphrasi exposuit et illustravit *P. Sylvester Maurus* (n. 1619 + 1687), qui præterea libros quinque *Questionum philosophicarum* et tractatus varios theologicos evulgavit.

Ludov.  
de Molina,

90. *Ludovicus de Molina*, conchensis, discipulus Petri Fonseca (+ 1600 ætatis 65), vir insignis ingenio et, quod caput est, virtute, paupertate potissimum, humilitate, obedientia observantiaque in Superiores. «Magnus utique fuit Molina, scribit Nicolaus Antonius, nullique secundus moralium rerum et jurisprudentiæ utriusque magister» (2). Nec minorem famam assecutus est in Theologia, in qua ipse primus, variis hinc inde Patrum ac veterum scriptorum collectis doctrinæ capitibus, systema suavissimum concinnavit, conciliandæ cum humana libertate divinæ predestinationi gratiæque efficacitati, quod Societatis theologi alique externi bene multi propugnarunt, et his quoque et temporibus propugnant adversus Thomistarum systema.

Francisc.  
Suarez,  
Eximius Doctor.

91. *Franciscus Suarez*, granatensis (n. 1548 + 1677), *Theologiæ Scholasticæ clarissimum et famosissimum lumen* (3), *recentiorum omnium gravissimus scriptor* (4), *tantæ subtilitatis Theologus ac Philosophus, ut vix quemquam habeat parem* (5), *quo loquente, universam recentiore scholam audimus* (6), honorificentissimo *Doctoris Eximii* titulo insignitus a Paulo V Pontifice Max., quod deinceps cognomen tota posteritas confirmavit. A multis in dubium vocatum est, doctiorne esset Suarez, an sanctor. Philosophiam primum docuit Segoviæ (1572); Theologiam vero Abulæ, Segoviæ (1575), Vallisoleti (1576), Romæ (1578), ubi primæ, quam habuit, prælectioni

- (1) Nicolaus Ant. Op. nuper cit. t. 1, pag. 150.
- (2) Nicol. Ant. Op. nuper cit. t. II pag. 53.
- (3) Joann. Morinus, de *Pœnitentia*, lib. 8, cap. 4.
- (4) Card. Norisius in *Vindic. August.* Cap. 1.
- (5) Grotius epist. 154 Joanni Cordesio inser. 15 Octob. 1663.
- (6) Bossuet apud Feller *Biographie universelle*, 12, 74.

fertur Gregorius XIII interfuisse (1), Compluti (1885) et Conimbricæ (1597), cujus academiam viginti circiter annos suæ splendore doctrinæ illustravit. Opera Suarii Lugduni, Maguntiae ac demum Venetiis 1740-1757 collecta 23 voluminibus in folio prodierunt, quæ Parisiis iterum edita sunt an. 1856 voluminibus 28 in 4.<sup>o</sup>, quibus adjecti cl. Malou aliud ex ineditis, quod Bruxellis an. 1859 typis mandavit cum hoc titulo: *R. P. Francisci Suaresii etc. Opuscula sex inedita...* Alii vero adhuc restant tam fecundi ingenii partus, qui lucem nondum viderunt. In his operibus philosophica sunt quinque libri *de Anima*, in volumine tertio Operum contenti, quos junior scripsit Suarez, nec corrigere potuit, morte correptus, nisi usque ad cap. 14 libri primi. Insignis quoque tractatus *De Legibus* plurima philosophica continet. Opus demum *Metaphysicarum disputationum*, in quo Theologia naturalis ordinate traditur et quæstiones ad omnes Aristotelis duodecim libros pertinentes accurate disputantur, tanti a doctis viris factum est, «ut haud multorum annorum spatio duodecies vel sæpius prodiret in Gallia, Germania, Belgio et Italia. Assidue illud lectitabat Fabius Chigi (postea Alexander VII); hinc in præfatione thesium, quas pro obtinenda doctoratus laurea publice defendit, ita de Suarez loquitur: «*Qui mihi professoris voce destitulo unus præsto fuit suis in lucem editis libris Franciscus Suarez, theologorum hujus ætatis facile princeps: quem cum Philosophiæ operam darem, scriptorem novi acutissimum amavique, ideo ipsum in Theologia doctorem sane perspicuum optimumque sum expertus*» (2).

Superfluum plane est, encomia quæ largissime omnis ætatis, conditionis, nationis viri eruditi de *Doctore Eximio* pronuntiarunt, hic referre; notissimum siquidem est, Suarez, principis instar inter recentioris scholæ Theologos emineret. Merito in ejus operibus laudant profunditatem ingenii, qua omnia fere tangit, quæ in unaquaque materia apte dici possunt (3), claritatem insignem (4), qua omnes in qualibet

- (1) Cfr. *Historia Soc. Jes.* part. 6 lib. 2. n. 121.
- (2) H. Hurter, Op. cit. vol. 1, pag. 262.
- (3) Ita Vincentius Fassari, *Trutina theol.* disp. 5, divis. 2 par. 2 n. 11.
- (4) Werner, Franc. Suarez apud H. Hurter loc. cit. pag. 250, nota 2.

quæstione cujusvis ætatis sententias dilucide refert cum argumentis, quæ modeste dein omnes in partes expendit. Neque solum versatissimus est in operibus Theologorum Scholæ, verum etiam in operibus Patrum, in scriptis hæreticorum omnis ætatis et in operibus æqualium suorum, licet in regionibus dissitis prodierint» (1).

Et hæc, pauca quidem pro tanti viri dignitate, nimis tamen multa, si scopus hujus indicis celebriorum Philosophorum spectetur, ideo dicta sunt, quia probe novi male Suarium apud quosdam audire, qui *Doctorem Eximium* dicitant, egregium quidem fuisse Theologum, at perversum vitandumque Philosophum: quasi fieri posset, ut aliquis perversus aut etiam mediocri Philosophus, insignis evadat Theologus Scholasticus (2). Alii dicunt ideo se Suario esse infensos, quia Suarius S. Thomæ doctrinam deseruit vel etiam corruptit et adversus ejus scholam ipse suam scholam instituere contendit. Hanc tamen ego meram calumniam esse certissime puto, et facile quivis videbit, si paulisper opera granatensis Philosophi evolvere velit: quæ etiam est sententia Em. Cardinalis Zephyrini Gonzalez, e S. Ordine Prædicatorum in sua *Historia Philosophiæ* (3), ubi docet Philosophiam Suarezii eandem esse cum Scholasticorum Philosophia vel potius esse Philosophiam S. Thomæ, et ab hoc illam vix in ulla re alicujus momenti discedere, si distinctionem inter essentiam atque existentiam excipias, et directam singularium cognitionem

(1) H. Hurter, op. cit. et loc. pag. 258, 259, ubi plura alia elogia vide.

(2) Audi quid in hanc rem scripsit SSmus. Dominus Noster in suis Litteris *Æterni Patris: Cum illud sit Scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo conjunxerint, profecto Theologia in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancam atque imperfectam aut levem Philosophiam adhibuissent. Paragraph. Quæ verba quamvis.....*

(3) «La Filosofía de Suarez coincide con la escolástica, ó mejor dicho, es la Filosofía de Santo Tomás, á quien cita y sigue en cada página de sus obras filosóficas.» (Op. cit. tom. 3. par. 34, par. 145. Madrid 1886).

modumque divini concursus (1). Verum ut sincere quod sentio, aperiam, id mihi videtur revera in Suarezio adversariis displicere, quod simili modo ille S. Thomam secutus est, quo ipse S. Doctor suos magistros, nempe illos attentissime legendo et meditando, non dissimulando vel contemnendo aliorum scriptorum sententias, sed omnia sedato animo in trutinam rationis revocando, rationemque auctoritati anteponendo. Verum ad alios transeamus.

92. Gabriel Vazquez, Bellomontanus (n. 1551 + 1604) alterum Theologiæ Scholasticæ clarissimum et famosissimum lumen (2), quem nonnulli propter ingenii acumen et profunditatem *hispanum Augustinum* dixere (3). «Vir fuit acerrimo ingenio, ait Nicolaus Antonius, singulari ac recondita rerum sacrarum eruditione, totius theologicæ doctrinæ callentissimus atque in veterum Patrum monumentis exercitissimus» (4). Nec minus laude dignus fuit propter insignes virtutes, in quibus eminebant sui contemptus, paupertas, et obedientia (5). Scripsit decem volumina in folio, *Commentariorum ac Disputationum in Summam theologicam* et variorum Opusculorum. «Exstant præterea collectæ ex ipsius operibus ab aliquo doctrinæ ejus studioso, et typis editæ, *Metaphysicæ disquisitiones*. Antuerpiæ 1618 in 8.º» (6).

93. Gregorius de Valentia, natus Methynnæ Campi in Hispania an. 1551, mortuus 1603, Romæ primum Philosophiam admodum juvenis docuit, mox «a Provincialibus tum Franciæ tum Germaniæ propter insignes ingenii dotes expetitus, in Germaniam fuit missus 1575, ubi Dilingæ per annos circiter 23, tum Ingolstadii strenue promovit rem catholicam prælectionibus, disputationibus, scriptis.» Denique «Romæ Theologiam docere, ac dein in celebri Congregatione *de Auxiliis* coram Clemente VIII doctrinam Societatis jussus est

Gabriel  
Vazquez.

Gregorius  
de Valentia.

(1) Ibid, ubi nota relate ad modum divini concursus aliis videri Thomistas potius, quam Suarezium vel Doctores Societatis, a S. Thoma discedere: qua de re suo loco fuse disputandum erit.

(2) Marinus. De Penitentia, lib. 8, c. 4.

(3) Novis. in *Vindic. August.* c. 3. par. 5.

(4) *Biblioth. hisp. nova* vol. 1, p. 510.

(5) *Historia Soc. Jesu auctore Juvencio*, par. 5. lib. 23 par. 42.

(6) Hurter, Op. cit. vol. I pag. 268, ubi plura alia.

quæstione cujusvis ætatis sententias dilucide refert cum argumentis, quæ modeste dein omnes in partes expendit. Neque solum versatissimus est in operibus Theologiarum Scholæ, verum etiam in operibus Patrum, in scriptis hæreticorum omnis ætatis et in operibus æqualium suorum, licet in regionibus dissitis prodierint (1).

Et hæc, pauca quidem pro tanti viri dignitate, nimis tamen multa, si scopus hujus indicis celebriorum Philosophorum spectetur, ideo dicta sunt, quia probe novi male Suarium apud quosdam audire, qui *Doctorem Eximium* dicitant, egregium quidem fuisse Theologum, at perversum vitandumque Philosophum: quasi fieri posset, ut aliquis perversus aut etiam mediocri Philosophus, insignis evadat Theologus Scholasticus (2). Alii dicunt ideo se Suario esse infensus, quia Suarius S. Thomæ doctrinam deseruit vel etiam corruptit et adversus ejus scholam ipse suam scholam instituere contendit. Hanc tamen ego meram calumniam esse certissime puto, et facile quis videbit, si paulisper opera granatensis Philosophi evolvere velit: quæ etiam est sententia Em. Cardinalis Zephyrini Gonzalez, e S. Ordine Prædicatorum in sua Historia Philosophiæ (3), ubi docet Philosophiam Suarezii eandem esse cum Scholasticorum Philosophia vel potius esse Philosophiam S. Thomæ, et ab hoc illam vix in ulla re alicujus momenti discedere, si distinctionem inter essentiam atque existentiam excipias, et directam singularium cognitionem

(1) H. Hurter, op. cit. et loc. pag. 258, 259, ubi plura alia elogia vide.

(2) Audi quid in hanc rem scripserit SSmus. Dominus Noster in suis Litteris *Æterni Patris: Cum illud sit Scholasticorum Theologorum proprium ac singulare, ut scientiam humanam ac divinam arctissimo inter se vinculo conjunxerint, præfecto Theologia in qua illi excelluerunt, non erat tantum honoris et commendationis ab opinione hominum adeptura, si mancã atque imperfectam aut levem Philosophiam adhibuissent. Paragraph. Quæ verba quamvis....*

(3) «La Filosofía de Suarez coincide con la escolástica, ó mejor dicho, es la Filosofía de Santo Tomás, á quien cita y sigue en cada página de sus obras filosóficas.» (Op. cit. tom. 3. par. 34, par. 145, Madrid 1886).

modumque divini concursus (1). Verum ut sincere quod sentio, aperiam, id mihi videtur revera in Suarezio adversariis displicere, quod simili modo ille S. Thomam secutus est, quo ipse S. Doctor suos magistros, nempe illos attentissime legendo et meditando, non dissimulando vel contemnendo aliorum scriptorum sententias, sed omnia sedato animo in trutinam rationis revocando, rationemque auctoritati anteponendo. Verum ad alios transeamus.

92. Gabriel Vazquez, Bellomontanus (n. 1551 + 1604) alterum Theologiæ Scholasticæ clarissimum et famosissimum lumen (2), quem nonnulli propter ingenii acumen et profunditatem *Hispanum Augustinum* dixerunt (3). «Vir fuit acerrimo ingenio, ait Nicolaus Antonius, singulari ac recondita rerum sacrarum eruditione, totius theologicæ doctrinæ callentissimus atque in veterum Patrum monumentis exercitissimus» (4). Nec minus laude dignus fuit propter insignes virtutes, in quibus eminebant sui contemptus, paupertas, et obedientia (5). Scripsit decem volumina in folio, *Commentariorum ac Disputationum in Summam theologicam* et variorum Opusculorum. «Exstant præterea collectæ ex ipsius operibus ab aliquo doctrinæ ejus studioso, et typis editæ, *Metaphysicæ disquisitiones*. Antuerpiæ 1618 in 8.\*» (6).

93. Gregorius de Valentia, natus Methynnæ Campi in Hispania an. 1551, mortuus 1603, Romæ primum Philosophiam admodum juvenis docuit, mox «a Provincialibus tum Franciæ tum Germaniæ propter insignes ingenii dotes expetitus, in Germaniam fuit missus 1575, ubi Dilingæ per annos circiter 23, tum Ingolstadii strenue promovit rem catholicam prælectionibus, disputationibus, scriptis.» Denique «Romæ Theologiam docere, ac dein in celebri Congregatione de Auxiliis coram Clemente VIII doctrinam Societatis jussus est

(1) Ibid, ubi nota relate ad modum divini concursus aliis videri Thomistas potius, quam Suarezium vel Doctores Societatis, a S. Thoma discedere: qua de re suo loco fuse disputandum erit.

(2) Morinus. De Penitentia, lib. 8, c. 4.

(3) Novis. in *Vindic. August.* c. 3. par. 5.

(4) *Biblioth. hisp. nova* vol. 1, p. 510.

(5) *Historia Soc. Jesu auctore Juvenio*, par. 5, lib. 23 par. 42.

(6) Hurter, Op. cit. vol. I pag. 268, ubi plura alia.

Gabriel  
Vazquez.

Gregorius  
de Valentia.

defendere: quod magna ingenii subtilitate, claritate et eruditio- nis apparatu præstitit, adeo ut illum Pontifex *doctorum Do- ctorem* (1) dixisse feratur (2). Inter plura alia hujus viri opera eminent *Commentariorum theologicorum in Summam S. Thomæ* volumina quatuor, in quibus plurimæ etiam philosophicæ quæstiones pro re nata disputantur mira claritate, profundi- tate, ingenii subtilitate.

Didacus Ruiz  
de Montoya.

94. *Didacus Ruiz de Montoya* quoque «primis Scholæ sideribus annumerandus» est (3): fuit hispalensis, multaque conscripsit theologica opera vere aurea, in quibus etiam sæpe occurrunt philosophicæ controversiæ cum theologicis connexæ, eruditissime solidissimeque pertractatæ. Vivere desit anno 1632 (4).

Card. Joannes  
de Lugo.

95. *Joannes de Lugo* S. R. E. Cardinalis, patria hispalensis, quamvis natus Matriti fuerat 25 Nov. 1583, vir acerrimi subtilissimique ingenii, docuit Theologiam in Romano collegio viginti annorum spatio. Plura scripsit opera theologica et Cursum Philosophiæ, qui tamen nondum editus est.

Rodericus  
Arriaga.

96. *Rodericus de Arriaga* lucroniensis (n. 1592 + 1667), Philosophiam Vallisoleti magno plausu professus est, mox Pragam translatus Theologiam 13 annis docuit, 12 annis cancellarius illius Universitatis fuit, et 20 annis generalis studiorum præfecti munus oblit magna doctrinæ et nominis claritudine; «vir omnium judicio ob subtilitatem ingenii, doctrinæ præstantiam et virtutis commendationem inter prima Societatis lumina collocandus» (5). Scripsit *Cursum Philosophiæ* sæpius typis impressum, et *Disputationes theologicas* in Summam S. Thomæ, seu Cursum theologicum tom. 8 in folio.

Cosmus  
Alamanni.

97. His addendi sunt *Cosmus Alamanni*, qui Summam Philosophiæ ad formam Summæ theologicæ S. Thomæ conscripsit ex verbis ejusdem Doctoris concinnatam; *Benedictus*

Benedictus  
Pereira.

(1) Adamus Contzen, lib. 5 *Politica*, cap. 1.

(2) H. Hurter, loc. cit. p. 281, ubi plura alia.

(3) H. Hurter, loc. cit. p. 518.

(4) Vide plura apud Hurter et Nicolaum Antonium in *Biblioth. hisp. nova*, t. 1 p. 311.

(5) Cfr. Sotvellus, *Scriptores Soc. Jesu*; Nicol. Ant. Op. cit. t. 2, p. 26; H. Hurter, Op. cit. t. 2, pars 1 pag. 1. 2.

*Pererius* (Pereira) valentinus, vir eruditissimus, qui præter plurima alia opera theologica et exegetica scripsit *De communibus omnium rerum naturalium principiis et affectionibus* libros 15 (1). Cursum vero philosophicos ediderunt *Petrus Hurtadus* gente cantaber domo valmasedanus (+ 1651), *Bartholomæus Amicus*, neapolitanus (+ 1649), *Franciscus Oviedo*, matritensis (+ 1651); *Georgius Rhodius* (+ 1661) avenionensis, *Franciscus Soares*, lusitanus (+ 1659); aliisque multis omissis, *Joannes Baptista de Benedictis* (n. 1622 + 1706) italicus, «cujus celebre nomen in Philosophia peripatetica: edidit enim *Philosophiam peripateticam* t. 5 (sed tomus quintus non prodiit) comprehensam... et *Lettere apologetiche in difesa della Theologia e Filosofia peripatetica*, sub nomine *Benedetto Aletino*... quæ scripta sunt adversus Cartesii Philosophiam» (2).

98. Sed jam veniendum est ad novam vel recentem Philosophiam, quæ a Cartesio initium habuit. *Renatus Cartesius* (*Des Cartes*) natus est in Gallia in oppido Haye Provinciæ Tourainensis anno 1596, absolutisque studiis, militiam primum secutus, deinde varias nationes peragravit, ac demum ad scribendum se contulit (+ 1650). In illo principio quo statuit *nihil esse admittendum tamquam verum nisi quod evidens est*, agnoscunt multi rationalismum, qui putatur esse propria tessera doctrinæ Cartesianæ (3). Hinc Victor Cousinus asseruit: «*Philosophia, quæ Cartesium præcesserat, erat Theologia, at Philosophia Cartesii est separatio Philosophiæ a Theologia*» Horum primum falsum est, inquit Em. Card. Gonzalez, quia licet Philosophia ante Cartesium amice cum Theologia concordabat, erat tamen scientia ab eadem distincta; alterum autem verissimum existit, eo enim tendit indoles cartesianæ Philosophiæ, ut a Theologia divortium faciat (4). Cæterum quamquam Cartesium de scientiis mathematicis ac Physica experimentali bene meruisse compertum est, variæ tamen fuere de

Petrus  
Hurtadus,  
Barthol. Ami-  
cus,  
Francisc.  
Oviedo,  
Georgius  
Rhodius,  
Francisc.  
Soares,  
Joannes Bapt.  
De Benedictis

Philosophia  
innovata.  
Renatus  
Cartesius.

(1) Hujus laudes auctoris fusius videri possunt apud Nicol. Anton. Op. cit. vol. 1, p. 211, 212, H. Hurter op. cit. t. 1 pag. 330 seqq.

(2) H. Hurter Op. cit. 2 pars. 1, pag. 655.

(3) Vide fusc de his disserentem C. Gonzalez, Op. cit. t. 3, par. 48 Cfr. par. 39, 47.

(4) Gonzalez, Oper. cit. par. 48.

meritis ejus in Philosophia sententiæ, aliis illum ad sidera extollentibus, aliis fere omnium posteriorum errorum reum judicantibus, quia nempe illorum in ejus operibus vel semina et principia vel certe occasionem et incitamentum deprehendere sibi videbantur. Illud quoque addi potest, graviore tamen laudandum est, quod vir Protestantium religionem professus, tam solide et christiane scripserit; eaque est haud levis scholasticæ Philosophiæ commendatio, quod tale ingenium in sui amorem ac studium trahere potuerit. Vivere desiit anno 1716 (1).

*Cartesii assectæ.* Cartesium fidelissime secuti sunt *Ludovicus de la Forge*, medicus et amicus illius; *Antonius Le Grand*, medicus, duacensis; *Claudius Clerselier*; *Sylvanus Regis*; *Clauberg* (n. 1622); *Christophorus Viticibus* (n. 1625 + 1687) et Jansenisticæ sectæ assectæ, *Antonius Arnaldus* (+ 1694) ac *Nicole* (+ 1695), aliique (2). Nec inter ipsos ecclesiasticos viros defuere multi, qui Cartesium Aristoteli ac Scholasticis anteponebant.

*Cartesii impugnatores.* Contra vero illum acerrime impugnaverunt inter alios *Gisbertus Voet*, minister Protestanticæ religionis; *Cudwort* (1617 + 1688), auctor *Systematis intellectualis*; *Samuel Parker*, pseudo episcopus Oxoniensis anglicanorum; *PP. Bourdin* et *Daniel* e Societate Jesu (3); *Daniel Huet*, episcopus Avrincensis (4); sed præ cæteris *Petrus Gassendi* (n. 1522 + 1655) vir non minus infensus Cartesianis, quam Aristotelicis doctrinis (5).

*Alii Cartesiani.* Cartesianam quoque disciplinam amavit occasionalismi instaurator *Arnaldus Geulincx* (6), (n. 1625 + 1670); et *Nicolaus Mallebranche*, e Congregatione Oratorii Berullensis, natus Parisiis anno 1638 et mortuus 1715, Occasionismi, Ontologismi aliorumque errorum sectator (7), et *Baruch* vel *Benedictus Spinoza*, amstelodamensis (n. 1632 + 1677), atheus et impius rationalista et sophisticus pantheista (8).

99. Cartesianæ doctrina nobilissimum nactus est adversarium in Gottifredo Gullielmo *Leibnitz*. Lipsiæ natus (a. 1646),

- (1) De doctrina Cartesii vide Card. Gonzalez, par. 49, 50.
- (2) Gonzalez, par. 51; Bouvier, op. cit. liv. 8, chap. 18.
- (3) Bouvier, Op. cit. liv. 8, chap. 18.
- (4) Gonzalez, par. 52.
- (5) Gonzalez, par. 53.
- (6) Id. Ibid. 54.
- (7) Id. Ibid. par. 58, 61.
- (8) Id. Ib. par. 58-61.

vir fuit doctissimus et gravissimus, philosophus, theologus, mathematicus et jurisconsultus. Et quamvis nulli se penitus sectæ addidit, Scholasticorum doctrinam præ cæteris amavit, inque suis libris potissimum amplexus est. Non certe caruit nævis, nec cavet omnes errores; maxime tamen laudandum est, quod vir Protestantium religionem professus, tam solide et christiane scripserit; eaque est haud levis scholasticæ Philosophiæ commendatio, quod tale ingenium in sui amorem ac studium trahere potuerit. Vivere desiit anno 1716 (1).

Æquales Leibnitzii fuere: *Anastasio Kircher* e Societate Jesu (n. 1602 + ætatis 79) fuldensis, scientiarum naturalium et mathematicarum eximius cultor fecundissimusque scriptor; *Samuel Baro de Pufendorf*, qui Juris prudentiam coluit (n. 1632 + 1694); atquea cerrimi et prorsus iniqui Aristotelis Scholasticorumque insectatores *Ehrenfried Walther de Tschirnhausen* (n. 1651 + 1708) Mathematicus ac Physicus haud vulgaris, et *Christianus Thomasius* (n. 1655 + 1728) filius Jacobi Thomasii, qui magister fuerat Leibnitzii (2).

Discipulus Leibnitzii præcipuus fuit *Christianus Wolf*, Wratislaviensis (n. 1679 + 1754), qui tamen in quibusdam rebus magistrum deseruit. Hic speculativam Philosophiam primum dicitur divisisse in *Logicam* et *Metaphysicam*, quæ deinceps partiatur in *Metaphysicam generalem* seu *Ontologiam*, *Cosmologiam*, *Psychologiam* et *naturalem Theologiam*: quæ divisio placuit multis posteris Philosophis (3).

100. Adversarii Leibnitzii fuere: *Joannes Joacimus Lange*, *Petrus Bayle*, *Joannes Franciscus Buddeus* pomeranus (n. 1667 + 1729); *Andreas Rüdiger* (n. 1673 + 1731); *Christianus Aug. Crusius* (n. 1721 + 1775) et alii (4). Æqualis Leibnitzio fuit etiam *Joannes Locke*, anglus (n. 1632 + 1704), instaurator empirismi Baconiani et auctor sensismi, qui sponte sua desinit in materialismum, et magister gallorum scriptorum,

Æquales  
Leibnitzii:  
P. Kircher,

Pufendorf,

Thomasius,

Christianus  
Wolf, discipulus  
Leibnitzii, nor-  
tam divisionem  
Philosophiæ  
investit.

Adversarii Leib-  
nitzii.

Joannes Locke,  
parens Sen-  
sismi.

- (1) Vide Gonzalez, par. 65-68.
- (2) Gonzalez, par. 68-70.
- (3) Alios Leibnitzianos et Wolfianos, vide, sis, apud Gonzalez, par. 70 et Tennemann, t. 2. par. 368, 369.
- (4) Gonzalez, par. 71; Tennemann, par. 363 seqq.

quos *Encyclopaedistas* dixere, in cuius operibus vix quidquam de veri nominis Philosophia reperias (1).

- Circa id tempus vixerunt angli: *Richardus Cumberland* (n. 1632 + 1719), *Antonius Ashley Cooper* Comes *Sbafesbury*, amicus et Mæcenas Lockii (n. 1671 + 1713); *Isaac Newton* Cantabrigiensis (n. 1642 + 1727) vir de naturalibus scientiis optime meritus; *Samuel Clarke* (n. 1675 + 1729); *Thomas Wollaston* (n. 1669 + 1731) impius osor divinitatis Jesu Christi aliarumque veritatum Catholicarum; *Arthurus Collier* (n. 1680 + 1732) qui semina jecit idealismi, quem mox evoluit Berkeley; *Antonius Collins*, amicus et discipulus Lockii, ardens incredulitatis propugnator, aliique (2).
101. Discipuli et successorres Lockii habendi sunt *Henricus a S. Joanne vicecomes Bolingbroke* (n. 1672 + 1751) impius vir, sensismi et empirismi sectator et fautor scepticismi, *David Hartley* (n. 1704 + 1757), qui negavit homini intelligentiam specie diversam a facultate cognoscitiva brutorum, et sensationes, intellectiones, volitionesque reposuit in nerveis cerebri vibrationibus; *Josephus Priestley* (n. 1733 + 1804), Socinianus, qui materialismum professus est, negata animi spiritualitate ac libertate; *Joannes Toland*, hibernus, incredulus materialista, impudentissimus osor religionis catholice; et *Bernardus Mandeville*, batavus, qui tamen Londini vixit et scripsit, materialismum professus et inficiator discriminis inter bonum et malum (3).
102. *Georgius Berkeleyus*, hibernus (n. 1684 + 1753), pseudo-episcopus Protestantium oppidi Cloyne, auctor *Idealismi*, qui suum systema ex Lockiana doctrina logice conclusit. Lockius enim substantiam negaverat, et distinctis qualitatibus corporeis in primarias et secundarias, asseruit solas illas (extensionem nempe, figuram, motum, etc.) esse objectivas, secundarias vero, quæ visum, auditum olfactum et gustum afficiunt, esse pure subjectivas. At Berkeleyus eodem jure

(1) Fertur Leibnitzium Philosophiam Lockii vocare solitus fuisse *pauperinam Philosophiam*. Plura de hoc auctore vide apud Gonzalez, par. 72-75.

(2) Gonzalez, par. 75; Tennemann, par. 346-349.

(3) V. Gonzalez, par. 76.

qualitatum omnium realitatem objectivam eliminandam esse statuit, et sic nihil extra nos realitatis esse, sive substantiale sive accidentale, sed repræsentationem corporei mundi esse meram illusionem mentis. Hanc esse existimavit Berkeley aptissimum viam evertendi materialismum (1).

103. *David Hume*, edimburgensis (n. 1711 + 1766), negavit principium causalitatis, et ex lockiano systemate conclusit scepticismum, ac denique materialismum professus est et Positivismo Comtii praelusit (2). Adversus inexorabilem Humii scepticismum

Hume.

104. *Schola scotica Sensus Communis instituta est a Thoma Reidio* (n. 1704 + 1796), qui principia quædam admittenda esse decrevit, quæ ab experientia minime dependent, sed instinctu ab omnibus pronuntiantur: illaque *veritates communis sensus* appellavit. Quamquam Reidium fere in hac doctrina præcesserat jam diu *Eduardus Herbert*, cherburiensis (n. 1581 + 1648), Hobbessii æqualis.

Schola Scotica  
sensus communis  
Thomas Reid.

Ad eandem scoticam scholam pertinent *Jacobus Beattie* (n. 1735 + 1803), *Jacobus Oswald*, *Dugald Stewart* (n. 1753 + 1828); *Gulielmus Hamilton* (n. 1788 + 1856) (3). Cæterum tota fere hujus scholæ Metaphysica ad empiricam Psychologiam revocatur (4). Sed jam ad gallos Lockii discipulos veniendum est. Primus se offert

Dugald Stewart,  
Hamilton.

105. *Stephanus Bonnot de Condillac*, sacerdos (n. 1715 + 1780), Gratianopolitanus (de Grenoble) eo tandem dementiæ venit, ut negaret hominis intelligentiam, neque ullam ei vitalem operationem sensatione perfectiorem concederet; immo vero vel ipsas potentias sentiendi assereret actibus sensitivis comparari, non autem esse virtutes animo natura ingenitas (5).

Sensiste:  
Condillac.

Ad sensualisticam condillacthii scholam revocandi sunt P. F. *Georgius Cabanis* (n. 1757 + 1808), qui operationes omnes, sive sensibiles sive intellectuales in variis nervorum affectionibus absurdissime reposuit, animamque ipsam

Cabanis,

(1) Cfr. Gonzalez, par. 77.

(2) Gonzalez, par. 78.

(3) De quo fuse Gonzalez, par. 80.

(4) Cfr. Gonzalez, par. 81.

(5) Gonzalez, par. 82.

- rationalem esse aliquid resultans ex nerveo systemate (1); *Destutt Tracy*, sensualismi vel sensismi sectator, qui omnem diversitatem operationum cognoscivarum appetitionumque, ad meram sensationum varietatem revocavit.
106. Lockii etiam asseclis aggregari merentur Franciscus Maria Arouet *Voltaire* (1694 + 1778) vir impius, sceleratissimus, et sacrarum divinarumque rerum impudentissimus irrisor; *Joannes Jacobus Rousseau*, genevensis (n. 1715 + 1778) eversor ordinis moralis et socialis, osor revelatae religionis, dux et magister civilium perturbatorum; et *Encyclopædista*, genus scriptorum materialistarum et atheorum, qui nullam religionem professi, christianam potissimum religionem omni studio delendam, auctoritatem evertendam, moresque penitus corrumpendos suscepisse videntur. Eum in finem *Encyclopædiam* (2) conscribere triginta tria volumina complexam. Præter *Dionisium Diderot* (n. 1713 + 1784) et *Joannem Le Rond d'Alembert* (n. 1717 + 1783) qui opus illud edidit ac direxere, plures alii fuerunt, qui *Philosophorum* sibi nomen arrogantes, vel in eo conficiendo allaborarunt, vel similes errores disseminarunt. Tales fuere P. L. Moreau de *Maupertuis* (n. 1698 + 1759) *Guilielmus Thomas Reynal* (n. 1713 + 1796), *Fridericus Melchior Grimm* (n. 1723 + 1807) *Julianus Offroy de la Mettrie* (n. 1709 + 1751); *Franciscus Vincentius Toussaint* (n. 1715 + 1772), *Claudius Hadrianus Helvetius* (n. 1715 + 1771), *Paulus Henricus Dietrich baro d' Holbach*, (n. 1723 + 1789) auctor *Systematis naturæ*, quod opus sub nomine *Mirabaudi* apparuit, estque armamentarium atheismi et materialismi (3); *Renatus Robinet* (n. 1735 + 1820); *J. Andreas Naigeon* (n. 1738 + 1810); *M. J. Antonius Nicolaus Caritat* marchio de *Condorcet*, *Carolus Franciscus* marchio de *Saint Lambert*, *Franciscus Chasseboeuf Comes Volney* (n. 1755 + 1820) alicuique (4).

(1) Gonzalez, par. 83. Sunt tamen qui Cabanio attribunt epistolam quamdam, in qua doctrina hujusmodi corrigitur ac penitus deseriuntur.

(2) *Encyclopédie ou Dictionnaire raisonné des sciences etc.*

(3) Hoc opus ab aliis tribuitur *Lagrangio*, qui fuit pædagogus filiorum baronis d' Holbach.

(4) V. Gonzalez, par. 85-89.

Isti nempe qui se *Philosophos* dicebant, nihil minus fuere quam Philosophi, scriptores materialiste, impii, levisissimi, impudentissimi, ac satyrici sacrarum omnium irrisores, qui morum corruptelam, fidei christianæ ruinam, auctoritatis contemptum cæteraque fere mala, quæ lugemus, invexerunt ac latissime propagaverunt.

107. Paulo ante encyclopedistas florere: neapolitanus *Joannes R. Vico* (n. 1668 + 1744); *Carolus Secundus* baro de *Montesquieu*, burdigalensis (n. 1690 + 1755), qui licet habeat multa recte scripta in suo opere de *Spiritu legum*, alia tamen sunt, potissimum in *Litteris Persianis*, haud indigna vel ipsis encyclopædistis ac Philosophis; *Joannes Jacobus Burlamaqui* (n. 1694 + 1748) genevensis; et *Emericus Vattel*, helveticus (n. 1714 + 1767) qui de Jure scripserunt; et *Carolus Bonnet* (n. 1720 + 1793) genevensis, naturalium scientiarum haud vulgaris cultor (1); et *Georgius Ludovicus Le Clerc* comes de *Buffon* (n. 1707 + 1788), qui haud exiguum nomen obtinuit sua *Historia naturali* (2).

108. Scepticismum in hac ætate, quæ a Cartesio initium repetit, vel propugnatum vel plus minus foverunt inter alios: *Samuel Sorbier*, parisiensis (n. 1615 + 1670); *Simon Foucher* (+ 1648) qui *Nicolaum Mallebranchium* impugnavit; *Josephus Glarvill*, anglus (+ 1680); *Petrus Daniel Huet*, episcopus Avincensis (n. 1630 + 1721); *Petrus Bayle* (n. 1647 + 1706) vir periculosissimus, plenus impietate ac dolo; et *Joannes Baptista Boyer*, marchio d' *Argens*, aquensis (n. 1704 + 1771), *Friderici Magni cubicularius* (3).

109. In tanta novarum sectarum turba non defuere, qui Scholasticorum doctrinas cum honore tuerentur: in quibus speciali mentione digni sunt, aliis omissis, *Card. Aguirre*, *Antonius Goudin* et *Joannes Baptista de Benedictis*, quos superius memoravi, et *P. Ludovicus de Lossada* e Societate Jesu, qui egregium et gravissimum *Cursum Philosophicum regalis Collegii Salmanticensis* edidit elapso sæculo, quod opus iterum typis mandatum est *Barcinone* ante paucos annos;

(1) Gonzalez, par. 87; *Bouvier*, livr. 9. sect. 2. chap. 2. 4.

(2) V. *Bouvier*, loc. nup. cit. chap. 3.

(3) V. *Tennemann*, par. 341 et 350.

Caramuel, *Joannes Caramuel de Lobkowitz* ex S. Ordine Cisterciensi, hispanus; *Salvator Maria Roselli* ex S. Ordine Prædicatorem, qui elapso sæculo eruditam et præclaram *Summam Philosophiæ ad mentem Angelici Doctoris* scripsit (1).

His addendi sunt *Feijoo* ex S. Familia S. Benedicti, eruditissimus scriptor, et *P. Laurentius Hervas* y *Panduro* naturalium scientiarum peritus ac pater recentis Philologiæ aliique (2), qui licet penitus Scholastici non fuere, bene tamen de Philosophia meruerunt. Horum tamen conatus impedire nequiverunt, quominus ubique fere triumpharent doctrinæ a Cartesio ejusque asseclis profectæ. Interea vero novus novarum doctrinarum magister et coripheus surrexit,

Kant. 110. *Emmanuel Kant* (n. 1724+1804) regiomontanus (Kœnigsberg) auctor *Criticismi* ac *Transcendentalis Scholæ*, et fecundus parens recentis pantheismi, rationalismi, idealismi, scepticismi, atheismi, immo forte etiam ipsius materialismi ac positivismi (3). Multos nactus est Kantius et adversarios et asseclas, quos longo ordine recensitos reperies apud *Tennemann* (4). Inter adersarios Kantii nominandus est *Fridericus Henricus Jacobi*, Germanus, auctor *Scholæ sentimentalis* (n. 1743+1819), cuius præcipuus discipulus fuit batavus *Hemsterhuis* (5); inter asseclas autem memorari merentur *Krug* (n. 1774+1842); et *Fridericus Boulerweck* (n. 1766+1828); *Bardili* (n. 1761+1808), et *Jacobus Fridericus Fries* (n. 1773+1843), quamvis tres prostremi doctrinam Kantii non parum immutarent emendaruntque (6).

111. Ex Kantiano systemate natus est *Transcendentalis Pantheismus*, quem professi sunt *Amedeus Fichte* (n. 1762+1814), *Fridericus Schleimacher* (n. 1768+1834), *Fridericus Gullielmus Jos. Schelling* (n. 1775+1854), *Gullielmus Fridericus Hegel* (n. 1770+1831), qui deliriis sua opera impleve-

(1) Cfr. Gonzalez, par. 89.

(2) Vide illos apud Gonzalez, par. 80.

(3) V. Gonzalez, par. 92 seqq.; *Bouvier*, Op. cit. livr. 9 sect. 3 chap. 5 seqq.

(4) Paragr. 386-387. Cfr. Gonzalez, par. 101-104.

(5) Gonzalez, tom. 3, par. 104.

(6) Gonzalez, t. 3, par. 103. *Tennemann*, par. 411-412. *Bouvier*, livr. 9, sect. 3 chap. 10.

runt (1). Pantheistæ quoque fuere *Carolus Christianus Fridericus Krause*, cuius placita ad multorum perniciem innoxit in Hispaniam, *Sanz del Rio* (2); et propugnant in Belgio *Tiberghien* et *Abrens* (3). Pantheismum mixtum cum rationalismo et materialismo sectatus est impius *David Fridericus Strauss* (n. 1808) (4); Pantheismum cum *Anthropolatria* seu hominis *divinizatione* et sensualismo materialistico *Feuerbach* (n. 1804+1872) et *Max Stirner* et *Arnaldus Ruge* (n. 1802) ac *Georgius Fridericus Daumer*, qui hujusmodi absurda collegerunt ex hegelianis principiis (5). Cæterum Schelling et Hegel haud paucos habuere asseclas et adversarios, quos referre hic non est necesse (6); at culmen pantheisticæ dementiæ attigisse videntur *Schopenhauer* (n. 1788) et *Eduardus Hartmann* (n. 1842), de quibus videri potest *Card. Gonzalez* (7).

112. Sectam, quam dicunt *psychologicam* duxere contra materialismum et idealismum pantheisticum *Joannes Fridericus Herbart* (n. 1776+1841); *Rodolphus Herman Lotze* (n. 1817); *Fechner*, *Waiß* (n. 1821+1864) aliique (8).

*Adulphus Trendelenburg* recentiorum placita cum Aristotelis doctrina revocare in concordiam studuit (9). At *Czolbe* sensismum redintegavit, ac negata omni realitate, quæ sensum transcendat, purum materialismum professus est, nihil esse in rerum natura statuens præter materiam et motum. Brutalem hanc doctrinam, quam dudum *Cabanis*, *La Matrie*, quem sequuntur *Vogt*, *Lièthé*, *Lefevre*, *Broca*, *Molescott*, *Virchow*, *Tyndall*, *Huxley*, *Jacquot*, *Burmeister*, *Bois Reymond*, *Weberweg*, *Comte Löwenibal*, *Haechel* aliique. Videntur

(1) Gonzalez, op. cit. vol. 4, par. 3-4-5-6-8-13 et 33.

(2) Gonzalez, par. 18. Vide opus a cl. Joanne Emmanuele Orti y Lara contra Krause scriptum.

(3) Gonzalez, Op. cit. t. 4 par. 65.

(4) Gonzalez, vol. 3 par. 16.

(5) Gonzalez, par. 17.

(6) Vide, sis, Gonzalez, vol. 3 par. 7-13-14-15. *Tennemann*, par. 402.

(7) Op. cit. t. 4 par. 27-32.

(8) De quibus omnibus vid. Gonzalez, par. 21-27.

(9) Gonzalez, par. 34.

Krause,  
Sanz del Rio,  
Tiberghien,  
Abrens,  
Strauss,

Feuerbach,

Schopenhauer,  
Hartmann.

Psychologica  
schola

Herb  
Lotze,

Trendelenburg.

Materialistæ:  
Czolbe,

Lièthé,  
Molescott,  
Virchow,  
Tyndall,  
Bois-Reymond,  
Hæckel



autem inter materialismum et spiritualismum incerti fluctuare *Flügel*, *Zoellner* et neokantianus *Lange* (1).

Transformi-  
smus

Lamarck  
Darwin  
Haeckel

Positivismus

Comte

Stuart Mill,  
Herbertus  
Spencer

Rationaliste  
galli:  
Royer-Collard,  
Laromiguière,  
Maine de Biran,  
Victor Cousin,  
pantheista,  
rationalista et  
absurdi  
Ecclesiastici  
fautor.

113. Maximam habet affinitatem et connexionem cum materialismo *Darwinismus*, seu doctrina *transformationis* specierum et *evolutionis* materiae ab imperfectioribus ad perfectiores species per suos gradus, quæ a Gallo I. B. P. Antonio de Monnet *Lamarck* (n. 1774 + 1829) primum proposita mox a Carolo *Darwin* magis evoluta (anno 1859) in libro de *Origine specierum*, tandem ab Haeckel (ab anno 1866) ad ultimas usque consequentias rigidioris materialismi deducta est (2).

114. Non procul abest a materialismo etiam *Positivismus* sive systema eorum, qui rejecta *causarum* investigatione, quam impossibilem reputant, facta dumtaxat seu phaenomena inquirenda esse in scientia docent, et leges phaenomenorum, sive mutuas successiones, simultatis, prioritatis etc. relationes inter varia facta. Hanc doctrinam, quæ omnis scientiæ veri nominis interitus est, primum invexit *Augustus Comte* (n. 1798 + 1857) (3), deinde cum materialismo permiscuerunt Robin et Littré et alii in Gallia (4) Eandem in Anglia coluere potissimum *Stuart Mill*, pater ejus *Jacobus Mill*, *Bain*, *Lewes*, et *Herbertus Spencer* (5), qui etiam ad scholam, quam vocant *psychologicam*, pertinent, quæ nempe phaenomena conscientiae, eorumque causas leges et conditiones scrutatur.

115. Adversus atheisticum sensismum gallo-encyclopaedistarum, duo genera Philosophorum pugnaverunt potissimum in Gallia, *Spiritualistæ* catholici et sectatores spiritualismi rationalistici. In his postremis eminent *Royer-Collard* (n. 1763 + 1845), *Petrus Laromiguière* (1757 + 1837), *Maine de Biran* (n. 1766 + 1824) (6), et *Victor Cousin* (n. 1792 + 1867), qui Pantheismum prius, deinde, nondum eodem penitus ejurato, spiritualismum rationalisticum amplexus est, simul cum *Ecclesiastico* illo absurdo, qui a suo auctore nomen

- (1) V. Gonzalez, par. 47.  
(2) Vide apud Gonzalez (t. 4, par. 55-59) varios tam abnormium errorum propugnatores.  
(3) V. Gonzalez, par. 43.  
(4) Gonzalez, par. 44.  
(5) Gonzalez, par. 45 et 59.  
(6) Gonzalez, par. 31. Bouvier, livr. 10, chap. 3.

habuit, supponitque in omnibus opinionibus et systematis, utcumque inter se contradictoriis, particulam aliquam veritatis, et veritatem dispersam ac divisam esse inter omnia systemata philosophica, nullum proinde veritatem plene possidere, sed singula illa non esse nisi veluti facies diversæ ac partes veritatis, atque adeo veritatem plenam obtineri non posse, nisi conflatis in unum atque in concordiam redactis variis contrariisque systematis (1). Cousinsi discipuli celebriores fuisse dicuntur *Damiron*, *Remusat*, *Theodorus Jouffroy* (n. 1796 + 1842), *Julius Simon*, *Saisset*, *Leveque*, *Caro*, *Coquerel*, *Fontanès* aliique (2).

*Renan*, *Taine* et *Vacherot* sectantur Philosophiam, quam dicunt *criticam*, quæ a Kantiano criticismo derivat, et negato omni ente supranaturali, pluribusque veritatibus ordinis metaphysici et moralis, immo et realitate ideæ Dei, mediam quamdam viam tenere sibi illudit inter idealismum et positivismum ac materialismum, inter dogmatismum et scepticismum, inter atheismum ac theismum; re tamen vera incidit in positivismum materialisticum et atheismum (3). Hæc doctrina videtur esse forma quædam recentis *Neokantismi*, quem proficitur *Lange*, *Liebmann* aliique (4).

116. Progressum indefinitum mixtum cum pantheismo effrenique vivendi licentia docuit Henricus comes *Saint Simon* (n. 1760) quem secuti sunt *Petrus Leroux* (n. 1798 + 1871) et *Joannes Ernestus Reynaud* (n. 1806 + 1863), *Enfantin*, *Bazard*, *Lerminier*, *Rodriguez* et alii a suo duce dicti *Saint-Simoniani* (5).

*Carolus Fourier* (n. 1772) qui plures nactus est discipulos, *communismum* ac novam hominum in societate distributionem proposuit, et passionum affectionumque omnium sanctitatem, nempe impudentissimam epicureismi renovationem (6). *Robertus Owen* (n. 1771) anglus ad eandem *Saint Simonis* et

Cousini asseclæ:  
Th. Jouffroy,  
Julius Simon,  
Saisset etc.

Philosophia  
critica.  
Renan etc.

Progressus indefinitus.  
Saint Simon,  
Petrus  
Leroux etc.

Communismus.  
Fourier etc.

- (1) Gonzalez, par. 38.  
(2) Gonzalez, n. 40.  
(3) Gonzalez, par. 53.  
(4) Gonzalez, par. 35.  
(5) Gonzalez, par. 49, 50, 51; Bouvier, livr. 10, chap. 7.  
(6) Gonzalez et Bouvier, loc. citatis.

Fourieri sectam pertinet, licet paulo aliter doctrinam suam exposuerit (1).

Prudhon. *Petrus Josephus Prudhon* (n. 1809 + 1865) atheus, fautor perfectæ inter cives æqualitatis et anarchiæ, osor proprietatis, qui rationalismum positivistam ac materialisticum ad ordinem moralem et politico-socialem applicavit, moralitatemque absurdissimam in vexit præcisam a notione Dei et ab omni metaphysico principio (2).

Ferrari, Ausonius Franchi, Mamiani, Vera etc. 117. In Italia scholam critico-positivistam secuti sunt *Josephus Ferrari*, *Christophorus Bonavino*, qui cum a catholica religione defecit, se *Ausonium Franchi* vocavit, ac nuper in sinum carissimæ Matris Ecclesiæ se recepit, et catholicam veritatem cœpit strenue propugnare in suo opera *L'ultima Critica*; *Maximæarella*, *Arديو*, et *Siciliani*; quibus adjungi possunt materialistæ *Herzen Mantegazza* (3). Spiritualismum rationalisticum *Mamiani* aliique (4), et Hegelianam doctrinam coluit inter alios neapolitanus *Vera* (5) qui tamen christiane tandem mortuus est.

Giola, Romagnosi, Antonius Rosmini.

Gioherli.

118. Liberales doctrinas, quibus Ecclesiam ipsam corrigere ac reformare nitebantur et liberam omnium cultuum professionem, bonorum ecclesiasticorum venditionem aliaque id genus propugnabant, sparserunt *Giola* et *Romagnosi* (6) primum, ac deinde *Antonius Rosmini Serbati*, sacerdos Roveretanus (1797 + 1855), cujus varia opera, et pantheismum aliosque errores continentia plura asserta proscriptis Ecclesiæ (7); et *Vincenzius Gioherli*, sacerdos taurinensis (n. 1801 + 1852) professor Ontologismi, qui dum scriptis suis ecclesiastici ordinis ac disciplinæ mutationem ac perturbationem audacissime propugnabat, non parum juvit verbis ac scriptis suis causam sacrilegorum rei publicæ perturbatorum in Italia. Hujus quoque viri doctrinæ quædam damnatæ ab Ecclesiâ sunt (8). Multos nactus

- (1) Gonzalez, loc. cit. par. 49; Bouvier, loc. cit.
- (2) Gonzalez, par. 52.
- (3) Gonzalez, par. 61.
- (4) Gonzalez, par. 62.
- (5) Gonzalez, par. 63.
- (6) Vide Gonzalez, par. 64, 77.
- (7) Gonzalez, par. 79 et 64.
- (8) Vide Gonzalez, par. 80 et 74.

est Rosminius discipulos, *Tommaseum*, *Pestolazzam* et cæteros (1); suos quoque habuit assecclas *Gioherli*, qui videri possunt apud Gonzalez (2).

119. Inter christianos Philosophos hujus sæculi numerari possunt Ludovicus Ambroise, Vicecomes de *Bonald* (n. 1754 + 1840); *Josephus de Maistre*; *P. Franciscus Alvarado* e S. Prædicator. Ordine, *Fraissonus*; Card. *Wiseman*, *Lacordaire*, *Montalembert*, *Gratry*, *Maret*, *Augustus Nicolas*, *Bautain*, *Henricus Martin*, *Bouvier*, *Jacobus Balmaes*, *Donoso Cortes*, *Ozanan*, *Slobberg*, *Görres*, *Möbler*, *Staudenmaier*, *Hellinger*, *Ketteler*, *Perrin*, *Paschalis Gallupi* aliique (3).

Bonald  
De Maistre,  
Alvarado,  
Wiseman,  
Nicolas,  
Balmaes,  
Donoso Cortes,  
Görres,  
Gallupi etc.

Errores vero sat graves admisere semicatholici ac semirationalistæ *Froschammer* (4) *Georgius Hermes* (n. 1775 + 1831), cujus quædam propositiones damnatæ sunt Romæ (5), *Günther* (n. 1785 + 1861) sacerdos, qui cum opera sua in romanum *Indicem* ecclesiastica sententia relata fuissent, laudabiliter se subjecit (6), ac potissimum *Baader* (7). Nec vero ipse Görres omnino immunem se ab omni errore servavit (8). Güntheri præcipui discipuli fuere *Baltzer*, *Pabst*, *Merten*, *Gangauf*, *Knoodt*, qui vitam magistri sui nuperrime (1881) edidit, aliique (9).

Froschammer,  
Hermes,  
Günther,

Baltzer, etc.

Denique partim christianam doctrinam, partim Pantheismum, et Traditionalismum mixtum cum rationalismo aliiisque erroribus tradidit infelicissimus *Felicitas de Lamais* cujus etiam quædam scripta proscripta a Pontifice Romano fuere (10).

Lamensis

120. Duo fuere inter catholicos hujus sæculi systemata, in quibus nonnihil censura dignum reperit S. Romana Ecclesiâ: *Traditionalismus* et *Ontologismus*.

Traditionalis-  
mus.

- (3) Vide illos apud Gonzalez, par. 79.
- (2) Paragr. 80.
- (3) Gonzalez, par. 66, 73, 74, 75, 76, 78 et 89.
- (4) Gonzalez, par. 68.
- (5) Gonzalez, par. 69.
- (6) Id. par. 70, 71.
- (7) Id. par. 69.
- (8) Id. Ibid.
- (9) Id. par. 72.
- (10) Gonzalez, par. 41-42; Bouvier, livr. 10 chap. 4.